



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Cap. XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

CAP. XVI.

Respondit Hiob, dicens,
 Audiui talia multa, consolatores
 onerosi, omnes uos estis.

Quando est finis uerborum uentoso-
 rum, aut quid molestum est tibi, quod
 respondeas?

Etiā ego, sicut uos loqui possem, uti
 niellet anima uestra loco animæ meæ,
 componerem super uos sermones, & cō-
 tronerem super uos, caput meum.

Roborare uos ore meo, & motu labio
 rui meorū auerterem (a uobis dolorem.)

Etiā si loquar, nō auertit dolor meus,
 & si cessauero, non tamen a me recedit.

DIVERSA LECTIO.

In libro pro, molestū est tibi, ponitur **ימריצ**
 quod **ימריצ** descendit, & significat uiolare, alterius
 uerba peruertere, aut inique interpretari, sensus igitur
 est: quā est, quod tanta diligentia, uos amici mihi re-
 spondeatis, quando nō meminerim, me uerba uestra
 deprauiasse, aut in malam partem interpretatum esse?

ANNOT. IN HIJOB

AVDIVITALIA MVLTA &c.

His duobus capitibus, Hiob idem agit, quod se-
per, recenset enim miram & insustentabilem di-
iudicij gravitatem, interim suam innocentiam testata
adversus falsas amicorum calumnias, ait enim in fi-
huius capitis, hæc patior, quamvis nulla sit iniqui-
tas in manibus meis, et oratio mea munda, sed quomodo
hæc intelligenda sint, satis supra inculcatum est. E-
videntur quidem amici & Hiob, prima facie in ha-
caussa non longe inter se distare, propterea quod Hiob
se innocentem adserat, sed fide, & amici, neminem iusti-
ficatum esse, coram Deo contendant, sed iudicio. Vtraque
pars bene sentit, pius enim fide iustificatur, ut Hiob
sputat, et nemo coram Dei iudicio, extra mediatorum, in-
stus est, ut amici adserunt, sed si rem penitus introspe-
cias, tantum in hac causa distant, quantum lex & Euan-
gelion, hoc est, $\Delta\iota\varsigma\ \Delta\epsilon\iota\ \pi\alpha\sigma\ \omega\varsigma$, amici enim legis par-
tes agunt, quæ omnes sub peccatum concludit, nullam
interim Evangelij iustificantis cognitionem habent.
Hiob uero, agit Evangelij partes, quo credentes, iusti-
ficantur, etiam si prius per legem peccatis sordidati
sint, admiscens in causa, presentis afflictionis hor-
rorem, ut agnoscamus quam graue sit, Deum iudicem
extra mediatorem ferre. Iam, quando amici, nullam ha-
bent Evangelij cognitionem, & ex peruerso legis in-
tellectu (quamvis interim verissimas sententias pro-
ducunt)

Statu contro-
uersiæ, amico-
rum & Hiobis.

ducunt) in Hiobem inuehuntur, proinde, non iniu-
ria, Hiob uerba eorum uentosa & inania uocat: nam
& Dominus infra capit. 42. suomet iudicio testatur,
amicos non recte loquutos esse.

CONSOLATORES ONEROSI.

Nam amicorum propositum, in diuersum cecidit:
adcesserant, ut consolarentur, & dolorem, amico col-
loquos alienarent, sed ecce, onerāt et grauant, uerba
eorum uentosa, plus mordacitatis, quā conso-
lationis habent: uestra inquit, consolatio, molesta mi-
hi est, non tam hoc nomine, quod me calumniamini,
quā quod ueras diuinæ legis sententias, citra fidei co-
gnitionem, producit & deprauatis: possem & ego
nulla ac preclara, de sapientia & iusticia Dei, iacta-
re & coadceruare: sed quid ea prodesse, si interim
a uero causæ scopo aberrarem?

VTINAM ESSET ANIMA VESTRA.

Recte ille dixit: omnes quum ualemus, recte con-
siliis egrotis damus, unde & Hiob ait: nunc quidem
iustis amicis secure licet me consolari, imò potius me
luctari: parum adficit uos, quod tantos sustineam cru-
ciatus: si eodem, quo ego, dolore affecti essetis, nō
desse mihi sermones arte compositi, quibus uos cō-
solaret, quando in ea palestra, nō parū exercitus sim
ut supra cap. 4. Eliphaz ait: uacillantes confirmaue-
runt sermones tui. Et infra. 29. Oculus eram cæco, &

ANNOT. IN HIOB

pes claudo: & si pateremini, quod ego, esset & mihi non difficile, uos ludere, & caput meum mouere hoc est, dolores uestros irridere & subsannare: ne mouere caput, irridentium, & illudentium habitus est, Hiere. 18. Omnis qui præterierit, oblupeſcet, & mouebit caput suum, & Threnorum 2. Mouerunt capita sua, super filios Hierusalem, &c.

ROBORAREM VOS ORE MEO.

Scirem & ego uos, si eodem comprehensi esseſſet iudicio, ad patientiam hortari, & consolatorijs uerbis dolorem mitigare: sed, ut nec ego, uos iudicio obrutos, patientes reddere possem, nec efficere, ut consolatione admitteretis: ita nunc omnia uestra uerba, coram me ad consolationem producta, inania sunt, nihil apud me efficiunt, manet semper eadem afflictio, manet idem dolor: Breuiter, nunc omnis consolatio mihi sonus est sine mente: iudicium enim Domini grauius est, quam ut possit uerbis humanis expelli, aut sedari, nam si Deus in corde dixerit: Morieris, aut Damnaberis, num conquiescet cor? si rex, si potens, si diues, si propria iusticia, si sanctulus quispiam, si amicus, si parens, si filius, si uxor adcesserit, iubens te bono animo esse, & se omnia sua promittere, ut libereris, non reor, sedabitur. Vox hæc morieris, subinde in conscientia reclamabit: quis igitur compeſcet tantum iudicij tumultum, in corde, non potest compeſcere, si eius

iudicium
mortis.

si eiusdem iudicis uerbo, qui, ut prius lege damnabat,
 ita rursus Euangelij Verbo credentes, uiuificat. Proin-
 de in tanta iudicij diuini molestia, omnia humana uer-
 ba inania & onerosa sunt, tantū abest, ut cōsolentur,
 solum Domini Verbū, hominem protectū restaurat.

ETIAM SI LOQUAR, NON AVER-
 TITVR, &c. Etiam si loquar, nihil mihi proderit,
 non solatur me sermo, non solatur me silentium, ō mi-
 serus at qui, hæc est diuini iudicij conditio, ut quocūq;
 diuerteris inter homines, inter opera, in uniuerso
 mundo, siue loquaris, siue taceas, semper dolor præ-
 sens sit, semperq; molestus: neq; enim fieri potest, ut
 quietus reddaris, quiete Euangelij carens, & solo le-
 gis tumultu obrutus: quemadmodum si cui spina plan-
 ta infixā fuerit, quocunq; ierit, spinam calcat: ita iu-
 dicio legis tactus, quocunq; diuerterit, maledictionem
 & horrorem calcat ac sentit.

Porro nunc defatigas me, deuaftas
 (o Deus) omne fulcimentum meum.

Et rugasti me, ut testimonium esset,
 & insurgit contra me abnegator meus,
 contra me respondet.

Ira eius dilaniat (me) & odiens me fre-
 mit super me dentibus suis, aduersarius
 meus exacuit oculos suos in me.

ANNOT. IN HIOB

Aperuerunt super me ora eorum, obprobrio percusserunt genas meas, simul super me exaciati sunt.

Conclufit me Deus apud iniquum, & in manus impiorum deduxit me.

Prosper eram, sed contriuit me, adprehendit ceruicem meam, & confregit me, erexit me sibi in scopon.

Circumdederunt me sagittarii eius, dilsecuit renes meos, & non pepercit, effudit in terram fel meum.

Percussit me, percussione super percussione, irruit super me quasi gigas.

DIVERSA LECTIO.

Quod ait, DEVASTAS, & RVGASTI, in secunda persona: & postea, INSVRGIT: RESPONDET &c. in tertia persona, est mutatio personae, nihil in sententia mutans: id quod admodum frequens est in scriptura.

PORRO NVNC DEFATIGAS &c.

Quem dolorem hic Hiob enarrat, maior est, quam ut uerbis comprehendi, grauior, quam ut ferri, molestior, quam ut credi possit: nemo enim intelligit uacillatij diuini grauitatē, nisi qui senserit: nec leuiter hominem comprehendit, sed concutit omnes uires humane

Iudicante Domino, ois humana spes corrui.

ut Epistola ad Hebræos habet: Sermo (iudicium)
 Domini, uiuus est & efficax, penetrantior quouis gla
 dio ancipiti, pertingens usq; ad diuisionem animæ &
 spiritus, cōpagumq; & medullarum. Sic & Hiere. 23.
 Verba (iudicium) mea sunt quasi ignis, & malleus cō
 terens petras. Eadem caussa, Dominus in lege dicitur
 ignis consumens, quod iudicando oīa deuastet ac con
 culet. Porro interioris in homine iudicij, exteriores
 regnū & urbū deuastationes, exēpla sunt: ut enim
 ante Domino, Hierusalem, adeoq; tota Israëlīs re
 gis, sicut deuastata est, et nihil sani in ea relictum,
 & boiem iudicans, omnia in eo concutit & deuorat.
 ET RUGASTI ME. Sic Psal. 6. Inueteraui
 inter oēs inimicos meos: nō enim annis senectutis tan
 tum rugarum contrahitur, quantū iudicio Domini,
 ergo Hiob ait, uel rugæ meæ, aut canicies capillorum
 meorum, testimonia sunt, quod grauisime adfligat,
 non tam corpore, quàm animo. Mundus stultos exi
 smat, cū tales de sua miseria cōquerentes, audierit,
 quando interim non uideat, externā aut corporalem
 ægritudinē, sunt enim, qui iudicio Domini corripiun
 tur, intus in corde et in conscientia, manente corpore
 sano, sed hæc iudicij ægritudo, tanto grauior est, quan
 to latentior, & tectus magis æstuat ignis.

ET INSVRGIT CONTRA ME &c.
 Hypotiposi quadam sub oculos subijcit tyrannidē

ANNOT. IN HIOB

**Deus adfligens
abnegator.** adfligentis Dei, ut nō tam gesta res, quā nunc ge
uideatur. Abnegatorem aut suum, Deū uocat, prop
rea quod pridem benefecerit, nunc uero pessime ad
gat, ira sua dilaniat, et dentibus suis fremat, cuius o
li prae furore ardeāt, et ex toto ore eius, crudelitas em
cet, sic enī adparet deus his, quos iudicat et derelinq
CONTRA ME RESPONDET.

Quod supra dixit: Renouas testes contra me, nam
etiā si nulla sit creatura, quae nos in iudicio aduſet,
Deus tamen, tam mirabilis iudex est, ut non solum iud
dicem, sed & aduſatorem & testem agat, id quod in
iudicijs humanis ualde iniquum reputatur.

ADVERSARIUS MEVS EXACVIT.

Aduersarium suum uocat Hiob, uon amicos solū,
sed omnem creaturam, quae resistit, Domino resistēte,
aduſat, Domino aduſante: Damnat, Domino dānan
te. Aut si malueris, ipsum Deum aduersarium intelli
gas, cuius oculi in Hiobem ardent, qui unā cum oibus
suis creaturis, aduersus Hiobem, contendit, nam quo
ties Dominus nos iudicauerit, habet testes, nostrae ne
quitiae, creaturas: testantur caelum & dies, quod sepe
nos peccantes uiderint: testantur noctes & tenebrae
nostrorum facinorum consciae: testatur terra, quae
peccantes nos sustinuit: testatur aēr, quem nostris nō
solum conuiciatorijs, maledicis, & urulentis uerbis,
sed etiam factis turpissimis infecimus. Aduersarius i
tur

tur Deus est, aduersaria sunt & omnes creaturæ, Do-
mino suo iudicanti subseruientes.

IRA EIVS DILANIAT.

Pulchre sub metaphora, iratæ bestia, iram Domini-
ni describit: quid enim crudelius est urso, aut leone,
fremente, dilaniante, & toruum aspiciente? Ita nihil
intolerabilius excogitari potest, ira Domini, quæ si
exalescet, omnes humanas vires dilaniat, & ueluti in-
cognanda bestia, dentibus fremit, oculos exacuit,
& aspectus eius plane mortifer est: uisus eius, uisus
belli est, qui uidendo dicitur interimere hominem,
ut est. Theß. 1. Uent impij pœnam, interitû eter-
nam, à facie Domini, & à facie fortitudinis eius.

Ira Domini.

APERERVNT SVPER ME ORA
BORVM. Qui sunt illi aduersarij, aperientes ora,
percutiêtes genas & c. At ociosum erit hoc querere,
quando Domino aduersante & percutiête, omnis cre-
atura aduersetur, & percutiat: proinde Hiob inquit,
non solum Deus, nec solum amici mei, sed tota rerum
machina, mihi aduersatur, me ludit, me subsannat,
& uellicat pbrose genas meas, adeoq; pessima quæq;
minatur. Ita & Domino percutiente Christum filium
suum, percutiebant & deridebant eum omnes proxi-
mi eius, dicentes: Alios saluos fecit, sed seipsum non
potest saluum facere: si est filius Dei uiui, descendat per adflictum
nunc de cruce: Est autem aperire os hoc loco, extre-
mæ exatiari.

Aperire os su-
per adflictum
extremæ exatiari.

ANNOT. IN HIOB

ma pericula minitari, ut est Psal. 21. Adperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Exacuri uero, est uoluptate propter proximi incommodum affici: hinc exatiantur mali, si pij adfligantur: exatiantur rursus omnes creaturae in iudicio Domini, propter impiorum perditionem, ut Esaias ait: Erunt ad facietatem uisionis omni carni.

CONCLUSIT ME DEVS &c.

Id est, tradidit me in potestate iniquorum. Est autem hoc in iudicio Domini grauissimum, quod aduersarijs uideatur fauere, & a parte eorum stare, consilia, conatusque ipsorum, contra nos prosperando. Neque quisquam est, qui possit in hac tentatione perdurare, nisi per Verbo Domini munus: sic & Christus conqueritur Psal. 22. Circūderunt me canes multi, consiliū malignantiū obsedit me.

PROSPER ERAM, SED CONTRIUIT &c. Ut nos prouerbiali facie dicimus: quondam eramus Troes, & fortes Milesij: ita & Hiob ait, quondam eram foelix, nunc omnibus malis obruor: ceruix mea, uirtus & potentia mea, nunc mihi fracta est, & erectus sum in scopum (quod est signum in quem ballistarij collimant & intendunt) hoc est, omnibus periculis expositus sum. Sic Psal. 37. Sagittae tuae infixae sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Non solum autem derelictus à Domino, oim aduersitatum scopus est, sed oportet quemuis Christianum, ex perfectione sua, adflig

ad afflictionū scopon esse: abrenunciamus enim per fidē
 in baptismo, & mundo & Sathanae: nihilominus ta-
 men uicturi aliquandiu, in mundi & Sathanae regno.
 Proinde, et aculantur in nos, tanq̄ hostes suos et aduer-
 sarios, oīa sua tela, ut Christus ait: In mundo afflictio-
 nē habebitis: & Petrus, Circūit diabolus, quasi leo ru-
 giens, querens quē deuoret. Iam, si quis Christo, tan-
 quā scuto munitus fuerit, tela, aut retunduntur, aut in-
 sequentem retorquentur, id quod in Christo capite
 factū est, mundus enim, mors & Sathan, in ipsum te-
 latorquebant, sed quia erat Verbū & filius Dei in ad-
 uersariorum capita retorquebat, ut per Prophetam
 loquitur: Ero mors tua o mors, morsus tuus inferne.

DISSECVIT RENES MEOS &c.

Tolerabile forte esset iudiciū Domini, si exteriora
 contaxat membra concuteret, sed eneruat oīa, etiam
 interiora, renes dissecans, & fel disijciēs, ueluti
 si quis aquā in terrā dispergat, breuiter, plagā plagæ
 addit, sabinde grauius atq; grauius adfligens, adeoq;
 ualido ictu, oīa concutit, ut nō hominis, sed gigantis
 uel tyranni impetū sustinere te credas, ut enim Deus
 misericordia sua, omnia membra, etiam capillos custo-
 diat, ita tra sua omnia conturbat, Psal. 72. Amaricatū
 est cor meum, & renes mei confossi sunt.

Saccum confui super cutem meam, &
 deposui in puluerem cornu meum.

A N N O T. I N H I O B

Facies meæ intumuerunt præ fletu,
in palpebra mea umbrositas est.

Quamuis nulla iniquitas in manibus
meis sit, & oratio mea munda

Terra ne operias sanguinem meum,
& non sit locus clamoris mei.

Etiam num ecce in cœlo testis meus
est, & conscius meus in excelsis,

Derident me proximi mei, ad Deum
stillet oculus meus.

Si liceret iudicio contendere viro cum
Deo, sicut homini cum proximo suo.

Sed annorum numerus uenit, & se-
mita qua non reuertar, ab eo.

SACCVM CONSVI SVPER CVTEM.

Sensus iræ diuinæ & iudicij eius, immutat omnem
ornatū nostrum, sordidat nobis omnia preciosa uesti-
menta, usq; adeo, ut sacco optetur et cinis, quæ quon-
dam erant pœnitentiæ symbola & contritionis: nunc
cum Christiani, per omnem uitam pœnitere debeant,
ac de peccatis dolere, semper sacco non exteriori, sed
interiori uestiantur, & cinere aspergantur, hoc est,
meminerint se puluerulentos & lutosos, nec posse de
pulvere excitari, & pro sacco, uestimentis gloriæ in-
duti, nisi misericordia Dei. Quantum igitur Christia-
norum

Christianorū
uita & pœni-
tentiā.

norū tempore, ad ciuilitatem adinet, uestiamur pa-
 trio more, quantū autē ad religionem, uestiamur sem-
 per sacco, quia pœnitendū est, & semper uestimētis
 gloriosis, quia Christus nunc glorificatus est, Esa. 52.
 Cōsurge, excutere de puluere, induere uestimētis glo-
 riosam, quā iudiciū Domini, nihil ob oculos po-
 nat quā mortē, peccata, & infernū, recte Hiob, ab-
 iectis gloriosis uestimentis, adsuit cuti suæ saccum, ut
 ipso habitu declaret iudicij horrorē. Cornu autē com-
 muni scripturæ tropo, pro regno, potentia & maie-
 state sumitur, uel quod bestiarū potentia, cornua sint,
 ut quod reges oleo ē cornu sumpto, inungebantur.
 Reg. 10. Imple cornu tuū oleo &c. Hiob igitur ait, Per iram Do-
 mi, in puluerem deposuisse, hoc est, abie-
 ctis regnū, honorem, et omnia quondam magnifica:
 nam per iram Domini, potentia fit nobis impotētia, commoda-
 regum fit nausea, & honor, abominatio.

FACIES MEAE INTVMVERVNT.

Sic Esa. 6. Laboraui in gemitu meo, laui per sin-
 gulas noctes lectum meum, lachrymis meis, lectum
 meum rigaui, turbatus est à furore oculus meus, Psal.
 37. Lamen oculorum meorum, non est mecum &c. **Mortis hor-**
 Facile autem intelliges, quantus hic sit dolor, si con-
 sideraueris nihil Hiobi, omnibusq; à Domino dereli-
 ctus, propositum esse, nisi præsentaneam mortem &
 infernum, erepta omni spe, ac fiducia.

ror.

Cornu in scri-
pturis pro re-
gno.

bis omnia in-
commoda-

Mortis hor-
ror.

ANNOT. IN HIOB

QVAMVIS NULLA INIQUITA

Fides habet Hec omnia inquit, pator insons iustus & in
 aperitū hostē, cens, quod si meritis esset, nihil conquereret: pot
 carnis sensum hi per fidem ablata sunt, & nulla sit iniquitas in
 contra quem nibus meis, propter fidem: præterea munda sit
 pugnat. tio mea, quia ex fide profecta, nihilominus tamē, ma
 tis horrore, perinde atq; nunquam liberatus essem,

Tentatio. obruor. Hec autem est fidei tentatio grauissima, se
 potius probatio, quod mors occisa sit, maneat tamen
 & infernus extinctus, ardeat tamen, & Verbo præ
 catur remissio peccatorum, ac vita æterna: sed ecce,
 subito oriuntur, mors, & infernus, peccati auctori
 menta: quare? ut manentibus his rebus, & tamen de
 uictis, declaretur potentia Christi, maior enim est, mi
 micum armatum, quam inermem prosternere, relictæ
 autem sunt morti infernoq; sua arma, sed obtusa &
 ad quemuis ictum cedentia, si modo quis Verbo, ue
 luti gladio, in fide pugnet.

**Sanguine oppre
 rui à terra.**

**TERRA NE OPPERIASSANGVINEM
 MEVM.** Operitur sanguis à terra, quem tacet, &
 non clamat uindictam. Hic itaq; prosopeia, ad
 loquitur terram, ne opperiat sanguinem suum, & nō
 abscondat clamorē, hoc est, si nihil aliud, saltem hoc
 concedatur, ut conquerar, ut clamem, aliud enim se
 latium, mihi relictū esse non uideo, ut supra cap. 10

Dimitt

Dimittam supra me querelā meam, loquar in amaritudine animæ meæ &c. Hæc omnia emphasin suam habent, qua magnitudo doloris ingens significatur.

ETIAM NVNC ECCE IN COELO &c.

Hoc est, Deum testor, me innocentem & integrū esse

Habet illud testimonium supra cap. 1. Dixit Dominus

ad Sathan, nūquid animaduertisti ad seruum meum

Job, quod non sit ei similis in terra? &c.

Iustus Job.

DERIDENT ME PROXIMI MEI.

Qui consolationi mihi esse deberent, rident me,

Amici mei & proximi mei, aduersum me steterunt,

& adproximauerunt. Est aut hoc impiorū uerbum,

Deute. 25. Eris in prouerbiū & fabulā omni

populo; sed & illo pij obruuntur, ut probentur.

AD DEVM STILLAT OCVLVS.

Rideant me sanè amici mei, at ego ad Dominū spī

meo clamo, à Domino uindictam expecto, aut enim

mihi uindictā & ego retribuā. Prophetis hoc fami-

liare est, quod consolētur Israëlitas à uicinis derisos,

aut alioque molestia affectos, ex uindicta domini, & mini-

quos spiritus, impijs ultionē minatur, nō hoc uult,

ut nos uliscamur, sed ut relinquamus Domino ultio-

neri, qui eam suo tempore redditurus est.

SI LICERET IUDICIO CONTEND.

Apostopesis est, iratis & irritatis admodū fami-

liaris; deficit aut (superarē iudicio) uel simile quid-

ANNOT. IN HIOB

dam, ut sit sensus: non tantus horror me inuasisset, mihi liceret, Deum in ius uocare, quemadmodum solent homines, inter se controuersias agere, sic enim non timerem causse meae, propterea quod iustus (scilicet ex fide) innocens & integer fuerim: at cum Deo mihi negotium est, qui solus est potens, cuius potentia & maiestati, omnes creaturae cedunt, omnino igitur succumbendum est quodcumque tentauero.

SED ANNORVM NUMERVS etc.

Effugium sperarem, si cum homine mihi causa esset, nunc Deus negotium facebat: proinde nulla fuga liberabor, sed ut uideo, numerus annorum uitae meae finitus est, uenit tempus statutum: ut supra dixit: terminum posuisti, qui praeteriri non poterit: omnino mihi quauis immerito, moriendum est. Porro mors hoc loco, semita dicitur, quae non reuertimur: aufer enim uerbum uel Christum, mors perpetuus interitus uidetur: adde uerbum aut Christum, mors resurrectionis initium erit.

Mors non est reuersibilis semita.

CAP. XVII.

Spiritus meus corruptus est, dies mei, concisi sunt, sepulchra mihi (supersunt) Etiam si nullae sycophantiae mecum sint, in amaritudinibus tamen habitat oculus meus.